



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1605.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Hispani. Ostendam rependit Mauritius Insulâ Cassanda, Isendicâ, & Slufâ in Flandria. Albertus Archi dux pacem init cum novo Rege Angliae; cum eodem fœdus sanxit Philippus Rex Hispaniæ. Summa fœderis, ut libera genti utriusque commercia, & Anglus Hollandos non juvaret.

Pestum in Ungaria à Christianis ante benniū captum in Turcarū reddit potestatem; Rex Persarum Babylonem & Aegyptum invadit, Turcas fundit, & Taurim Persarum olim regiam recipit.

Carolo Sueco ejusque hæredibus masculis, abdicato Sigismundi nepote, publico Ordinum Sueciæ decreto, Regnum confirmatur.

Ordo Sanctorum à Beata Virgine annunciatâ instituitur.

Flexiae in Gallia assignavit PP. Soc. Jesu Palatium Ducum Vindocinensium pro Collegio Rex Henricus, decrevitque, ut in eodem, in quo fuisset natus, humaretur parte sui meliore, corde nimirum suo, & Reginae Conjugis, illustri amoris testimonio erga innocentes.

ANNUS 1605.

R Omæ 3. Martii vitam cum Laude & Fama

Sæculi decimi Septimi.

7

Fama Sanctitatis claudit Clemens VIII.
Pontifex maximus magnis rebus præter
virtutes privatas celebris; maximè, quod
Henricum adscripsérat Ecclesiæ, Ferrariam
verò Romanæ Sedi. Successorem accipit
Calendis Aprilis ex Familia Medicea Car-
dinalem Alexandrum Florentiæ Archi-E-
piscopum, qui nomen assumpsit Leonis XI.
Orbi Christiano ostensum potius, quam
concessum. Post dies enim Imperii 27, ex
morbo ipso Pompæ solennis die contracto
consumptus vacuam sedem reliquit Camil-
lo Burghesio Senensi, qui se Paulum V. di-
xit, uti vitâ diuturnior, ita & rebus gestis pro
Deo & Ecclesia clarior.

Turbæ novæ in Ungaria. Seditiosi Un-
gari ob non soluta stipendia Imperia Baſtæ
detrectant, & Moraviam vicinasque pro-
vincias miserè devastant. Stephanus Boz-
kajus nobilis Hungarus, sed pessimus
Zvvinglianus, auxilio Turcarum magnam
Transylvaniæ partem occupat, & Catholi-
cos dirè persequitur. Strigonium amittitur.

Carolus, qui se Regem Sueciæ dicebat ad
Rigam Livoniæ à Polonis magna suorum
clade profligatur.

In India Orientali Rex Serrælænæ ejus-

A 4

que

que duo Fratres ac quatuor liberi baptizantur à P. Balthasare Barreira Soc. Jesu.

Horrenda solis defectio mense Octobri.

In Belgio spinola tum per se, tum per Ducem Buquojum egregiè rem fidei, & Alberti Archi-Ducis contra Mauritium promovet.

In Anglia præsenti periculo Rex servatus cuniculo subter locum comitiorum ducto, quo ipse, cunctique proceres nitrato pulvere periissent, nisi sub ipsum penè rei gerendæ articulum delatæ insidiæ discrimen discussissent. Sævitum inde crudeliter in catholicos, & multi etiam innocentes suppliциis immanibus affecti, Hæresi Neroniana sæcula renovante.

Illustris fuit mors Henrici Garneti Soc. Jesu Sacerdotis etiam prodigiis; nam gutta Sanguinis ex dissecto corpore decidens in spicam tritici veram Henrici effigiem depinxit cum corona & cruce. Cultus inde à plerisque pro Martyre, quem tanto miraculo Deus ipse depinxisset; causa mortis, quod conspirationem pulverariam cognitam in confessione non detexerit prohibitus Sigillo.

ANNVS 1606.

IN Italia civile exoritur incendium inter